

376

unde oraculum Apollinis statuerunt consulendum. Sacerdotes autem tale Senatui responsum dederunt ex Apolline, ut nuntios per regiones mitterent et illum ad imperium assumerent, quem residentem ad ferream mensam comedentem, et speciosam virginem sibi servientem, et canem observantem invenirent. Multis ergo nuntiis emissis aliqui in Dalmatiam venerunt, quaerentes suum imperatorem in signis, cum ferrea mensa, virgine et cane. Campum ergo Polae cum pertransirent et de via dubitarent, viderunt rusticum in agro arantem et de via declinantes ad ipsum interrogandum iverunt. Eis autem cum rustico conferentibus venit filia ejus juvencula, portans sibi alveolo (203 a) pulmentum intrito pane, rusticus vero everso aratro super vomerem cibum allatum posuit et comedit sedens in terra. Recordati autem nuntii de oraculo ad invicem dixerunt: ecce, mensa ferrea, juvencula et canis, profecto imperator ille est Romani imperii. Erant autem nuntii illi viri potentes, prudentes et nobiles, armati in equis sedentes, et a rustico declinaverant paululum, consulentes sibi invicem, et accedentes interrogabant ejus nomen et ipse, Diocletianus, inquit, vocor. Cui dixerunt: surge et proficisci nobiscum Romam, quia oraculo deorum imperator mundi factus es. Quibus respondit: difficulter credo, nec vobiscum proficiscar, nisi jam in continenti jussis meis obtemperaveritis. Quibus promittentibus interrogavit, quis inter eos nobilior haberetur? Quo astante dixit: ut videam, inquit, me non deludi a vobis, hunc jugulate. Si feceritis, bene; si non, me delusum agnosco. Amaro ergo animo interfecerunt ducem illum servi. Quo facto, iterum de nobiliori quaesivit et interfici eum mandavit. Et tertia vice fecit similiter et post hoc surrexit et Romam perrexit imperatorque est declaratus. Non multo post infirmatus fuit graviter Diocletianus, ad quem visitandum venit Maximianus, rusticus socius suus; dicens ei, quid mihi daturus essem, si te sanarem? Respondit: dimidiatem totius mundi. Accepit autem Maximianus eum in curam, et nihil illi dabat nisi cibum et potum rusticalem, quo ante imperium usus fuerat, sicque sanavit eum, propter quod recepit eum in consortium imperii, occidentem illi tribuens, ipse autem orientem gubernavit anno Domini 286, et erant strenuissimi bellatores et saevissimi omnium Christianorum persecutores omni-

